

effingendo opitulari, quam ipsam per summam vim ab opere divertere, ac deviare? Naturam enim obsecundare, quam illi obfistere multo facilius putaverim.

Denique si Imaginatio alterare potest conceptum, & illum monstrificum reddere, ut, exempli gratia, conciliare illi figuram bovis, vel caput raninum, vel huiusmodi quid, vel id faciet in instanti, vel tempore quodam proportionato. In instanti non, quia vel facit in quolibet instanti, vel in certo, si in quolibet, poterit jam de una figura fieri transitus in aliam, et si in hoc instanti mater imaginata bovem, filio conciliet formam capitis bovinam, vel imaginata ranam, raninam, dehinc si imaginabitur Alinum, fiet metamorphoses de bove in Alinum, vel si imaginabitur avem, fiet immutatio ranæ in avem, quod est ridiculum. si vero id facit in certo instanti, vel facit ante foetus formationem in primis septem conceptionis diebus, (non enim ante hoc tempus, vel saltem ante tres dies foetus formatur, si Hippocrati credimus) vel post. ante non, quia imago ab Imaginatione communicata non potest in informi semine fervari, ubi nulla adhuc conspicitur partium differentia, & discriminatio, non post, quia sic Imaginatio, quæ est causa per accidens, & momentanea efficit Natura fortior, quæ est causa per se, & immutabilis, unde consequens est, Naturam indefinientem sua operatione Imaginationis brevem, ac non propriam operationem evincere, & si quid communicare posset, ab illa obliterari. Interim notandus Carranza lib. de Pari. cap. 17. num. 91. vers. Tertia causa principalis, & deinceps. qui in omnibus suam sententiam immiscens magno virorum opinionibus audacter irridet, ac refellit non ulla ratione, sed ex propria assertionem, nec, quod majori reprehensione dignum est, ex adverso oppositas rationes vincit, ut in hoc proposito Ioannis Huarti sententiam, qua contemnit eorum opinionem, qui Imaginationi vim tribuant signandi foetum in Matris utero, reprobat, & audaciam notat, neque tamen eius argumentis satisfacit, quod mirum non est, quam enim ratione leguleus hic subtilissimis eius Auctoris rationibus satisfaceret? magis prudenter Torreblanc. lib. 2. Demonolog. cap. 33. a num. 48. ad seqq. Huarti sententiam examinans, illi tandem ut probabiliori adheret, hoc enim pacto à doctis viris fieri solet, quamobrem ex his concludam, Imaginationem omnino à numero causarum hic esse eliminandam.

Cæterum cum varia sint genera monstrorum, & monstrum sit quid præter naturam, & per accidens ita genitum, non possunt omnia ad unam eandemque causam reduci, sed necesse est unumquodque genus habere suam adæquatam, & proportionatam causam, & licet plerumque monstra talia generentur ex parte seminum, tamen ipsa semina non semper eodem modo sunt disposita. defectus ergo, & superabundantia membrorum in monstris non aliam potest habere causam, quam defectum, & superabundantiam seminum. Tortuositas monstrorosa à mulieris inconcinno decubitu, aut ab inconcinuitate in actu ipso coitus dependentiam habet. membrorum mutatus situs ex seminum, vel cyematibus ipsius, vel effluxionis trepidatione, & concussione originem ducit. Figura in maxime extraneas figuras degenerans, seminum, sanguinisque alieni vitium insigne denotabit. degeneratio in alteram speciem miscelam diversorum specie seminum

commonstrabit, maculas quasdam, si libet, ad Imaginationem refer, ego ad sanguinis ipsius vitium referrem, & sic de singulis considerandum.

S V M M A R I V M.

- 1 Ex diversis specie animalibus tertium generari non potest.
- 2 Processus in infinitum à natura alienus.
- 3 Animalia specie differentia quando coeuntia generare possunt.
- 4 Homo à cæteris animalibus quantum differat.
- 5 Homo cum multis animalibus convenit in tempore ferendi uterum.
- 6 Propter formam nobilitatem non potest ulla species cum humana commisceri.
- 7 Maxima substantiarum dissidentia impedit generationem inter Hominem, & Brutum.
- 8 Animalia specie differentia coeunt, & generant inter se.
- 9 Natura dissidentia non semper impedit generationem inter animalia specie diversa.
- 10 Magnitudinis disparitas an generationem inter specie diversa animalia impediatur.
- 11 Nullum animal nasci potest, nisi sibi determinato tempore.
- 12 Homo ex Aristotele in tempore ferendi uterum cum omnibus animalibus ambigit. contr. num. 14.
- 13 Proprietates naturales sunt inseparabiles.
- 14 Carranza notatur.
- 15 Proprietatis nascendi hoc magis, quam alio particulari, ac præciso tempore est dividendum, non species.
- 16 Cur non idem omnibus individuis ejusdem species nascendi tempus.
- 17 Fœtus quando nascitur.
- 18 Monstra non videntur.
- 19 In natis ex diversis specie animalibus, quedam naturales patentium proprietates consuntur, quedam non.
- 20 Cur ex diversis specie animalibus non possit sequi generatio, alia causa respiciens coitum, & constitutionem genitalium.
- 21 Semen ex Galeno principium sui motus non habet in diversis specie.
- 22 An ex Homine, & Bruto sequi possit generatio peculiaris consideratur.
- 23 Semihumanorum monstrorum historia cur suspecta videri possit.
- 24 Vi conceptus quicumque ex duobus seminibus sequatur, necesse est ea semina misceri tota per tota.
- 25 Quenam causa ab extra concurrere possint, que impediunt generationem inter hominem, & Brutum.
- 26 Concoctum, & commixtionem seminum humani, & Brutum in ipso coitu fieri, nulla causa videtur impedire posse.
- 27 In quibus vis vivendi datur calorem quemdam caelestem, & divinum.
- 28 Calor vivificans humani seminis differt à calore seminis belluini secundum maiorem, & minorem perfectionem.
- 29 Calor magis perfectus non corrumpet, sed vivificabit calorem minus perfectum.
- 30 Quale monstrum secundum esse ex commixtione seminis humani, & belluini, si quando fieret, non satis constat.

Quæ

Quæ Monstra ex diversis specie Animalibus progigni possint, quæ non. quæ item ex humana specie possibilia, quæ non.

Q V Æ S T I O III.

DE Menstris, quæ ex diversis specie Animalibus progigantur, multum inter Philosophos ambigitur. negant aliqui ex diversis specie animalibus tertium generari posse. & ratio pro his evidens est; nam quod ex duobus animalibus specie differentibus nascetur aut cum suo compare generabit, aut non; si primum dabitur hoc modo processus in infinitum, qui à Natura est maxime alienus; indies enim novæ animalium species pululabunt; si secundum, videbitur Natura frustra aliquid facere, & à suo fine deviare, qui cum is sit, ut se ipsam in speciebus conservet, non poterit illam ulla ratione per hæc individua assequi. Sed huic opinioni, & rationi in ejus favorem allatæ refragatur experientia, nam nasci videmus animalia ex specie differentibus parentibus, quæ inter se aliquando generant, aliquando non, cujus rei testis instar omnium locupletissimus sit Arist. lib. 2. de Generat. anim. cap. 5.

Rationi in contrarium adductæ satisficit dicendo, quod alterutra ex suppositionibus admissa, neutra ex consequentiis sit necessaria. nam animalia ex parentibus specie differentibus enata, si inter se generent non novam speciem generabunt, sed in primam redibunt, quod si non generent, ut de Mulis evenit, hoc non est, Naturam frustra aliquid facere, quia intentio Naturæ est conservare se in individuis susceptis secundum ejus dispositionem, non in his, quæ præter ejus intentionem oriuntur. Aristoteles ubi supra, & 4. ejusdem cap. 4. quem plerique sequuntur, admittit quidem generationem inter animalia specie differentia, sed tres concurrere conditiones ex necessitate ad hoc ut inter ea sequatur generatio, voluit. quarum prima est, ut Natura non multum distent, secunda, ut magnitudine corporis non admodum imparia sint, tertia ut utriusque gestationis uteri tempora coincident: sic Canes, & Lupi, Vulpes, & Capes, Equi, & Asinæ coeunt prolem ex coitu suscipiunt, sic etiam ex Avibus Perdices, & Gallinæ, cum in eis omnes prædictæ conditiones concurrant. contra vero ex homine, & Bruto non videtur posse sequi generatio, deficientibus omnibus prædictis conditionibus. Homo quippe Natura à Brutis, cæterisque quibuscunque animalibus tantum distat, ut cum nullo omnino conveniat. temperatura enim bonitate omnia excellit, formæque immortalitate unicus inter cætera existit. magnitudine item maxime propter corporis constitutionem, & figuram nulli par videtur. quod magis palam fiet, si eorum quæ maxime figuræ similitudine cum homine garrunt, qualitates, & conditiones examines. nam Homo solus bipes est, & erectus incedit, cæterorum animalium propriissime, & ex sua Natura nullum. Solus Homo manus habet ad omnia opera aptissima, cæterorum nullum, quamquam habere æquivoce dici possunt, ut dicit Card. de Socr. stud. Soli Homini capitis rotunditas, & amplitudo præ reliquo corpore, est connaturalis, soli Hominis Na-

sus prominet, imo solus Homo Naso dotatur, ut ex Andrae Laur. dixi lib. 5. superiori tit. 3. quaest. 4. num. 16. soli Homini cutis levitas concessa, cæteris vero horum nihil. quid de facie dicam sede pulchritudinis, qua proprie solum Hominem dotari firmant Doctores? And. Laur. Anatom. lib. 11. cap. 1. Taliacot. lib. 1. de Chirurg. cap. 1. quid denique de aliis plerisque particularibus mentionem habeam, quæ hominem tantopere quoad magnitudinem, & corporis constitutionem, & figuram à cæteris animalibus fecerunt? ex his enim omnibus videtur constitutio, & figura Hominis cum constitutione, & figura aliorum animalium impossibilis; quia videtur à Natura quodlibet semen determinatum ad conformandum totum hoc, & non alio modo, nempe tali, & non alia figura, hac, & non alia temperie, hoc, & non alio situ, hoc, & non alio numero, ita ut semen humanum non nisi figura humana membra dotata conformare possit, etiam abstracta ab ipso semine forma immateriali, & Equinum equinam, etiam abstracta forma torius, aliter videretur ex quolibet semine quodlibet animal quoad extenam figuram generari posse, si fuerit indeterminatum ad certam figuram communicandam. Hoc autem importat illud Hippoc. semen rapere secum idcam omnium partium, quod optime pluribus demonstrat Ludov. Mercat. Consult. Medic. num. 20. vers. At cum profus, non videtur ergo quod semina commixta ex Bruto, & humano possint generare unum quid, quod sit medium inter duo corpora tantopere in tam multis conditionibus inter se dissidentia.

Sed præter hæc homo tempora gestationis nullis habet communia, quod nullum, ut Aristoteli, aliisque placet, statutum tempus pariendi fortitur, si ergo cum nullis convenit, cum nullo commixtus generabit, cætera enim semina aut prævenient, aut subsequenter, quod ex semine humano generabitur, & sic cum simul nasci non possint, impossibile erit ea simul commixta generare.

Sed præ his maxime urgere videtur intrinseca hominis forma, propter ejus nobilitatem nulla omnino species commisceri cum humana potest, quomodo enim immortalis, incorruptibilis, celestis cum mortali, corruptibili, & terrestri forma convenire in unum poterit? aut quodnam tertium resultare ex utriusque principii materialibus, quod partim corruptibile, & mortale, partim incorruptibile, & immortale existat? hoc tamen ad aliam videtur pertinere quaestionem, nempe an quod nascetur ex tali seminum miscela formam hominis habiturum sit, nec ne; primum autem videtur quaerendum, an seminum commixtio in utero fieri possit, an potius unumquodque ab alio secessurum sit; an ex commixtis ulla palmatio fieri possit, an potius unum aliud corrumpet, ut infra.

Nam Galenus quoque lib. 3. de usu Pari. cap. 1. 7. in princip. hanc seminum miscelam ideo negavit fieri posse, quia propter maximam substantiarum dissidentiam unum semen ab alio receptum corrumpi necesse sit, quin alias ad hanc ipsam generationem impediendam causas concurrere voluit; nam exemplo deducto ex animali nato ex homine, & Equo, non constat quomodo tale animal, si nascatur, nutririi possit, cum Homo ab Equo tam diversa fortitur nutrimenta; item difficile est demonstrare quomodo tale animal regetur in gressu, in festu,

bent etiam quando ex diversis specie generantur ad parentum imaginem, quam tamen, ut dixi, numquam simpliciter, & abique ulla convenientia, cum altero representant.

Denique, præterquam quod de raro, imo rarissime fit, ut tam ab humano sensu deviet homo, ut se cum Bruto commiscere in animum inducat suum, existimandum est quamplurima etiam in tam nefario coitu intervenire, quæ feminam miscelam, & ex his generationem prohibeant, ferarum nempe ipsarum inobedientiam, quæ ab aliis maribus extra suam speciem subigi, aut cum alienis feminis conjugii se non patiuntur. Hominis ipsius etiam extrema lascivia gliscens abominationem, & venerationem vindicis item divinæ, & humanæ Legis timorem, necnon etiam coeundi rationem, membrorum genitalium disparitatem, cuiusvis proclivitatis alterius in alterum, & reciproci amoris absentiam, & alia id genus, quæ maxime in eam opinionem manuducunt, quod etiam si sæpe sæpius contingeret tam horrenda, & abominabilis commixtio (quam D. O. M. ab humana progenesis eliminat) nonnisi summa cum difficultate, aut forte nullo modo succederet generatio.

Sed neque hæc licet de facto generationem huiusmodi prohiberent, rei possibilitatem adimere videntur. Quid ergo ad tam implicitam dubitationem respondebimus? Post feminam concursum, quem nihil impedire posse, nemo est qui dubitet, videndum an quicquam sit, quod eorum commixtionem possit prohibere. substantiæ, vel materiæ dissimilitudinem causari possumus. Et quoad substantiam nimis certe distare videtur perfectio caloris feminis humani à belluini. at si in quibusvis vitibus calorem in esse quandam caelestem, ac divinum admittamus, quod demonstrat præ cæteris Fernelius lib. 4. *Physicæ. cap. 1. & alibi*; calor feminis humani à belluini calore differet tantum secundum magis, & minus, non erunt ergo contrarii, ita ut semina commisceri prohibeant; imo calor magis perfectus vivificabit, non corrumpet calorem intus feminis belluini, proprium enim videtur caelestis caloris vivificare, non corrumpere. at nonne substantiarum dissimilitudinem indicant experientia in medium productæ huiusmodi miscelæ humani nempe, & belluini feminis? quippe cum ex illis pateat nequaquam mixta fuisse tota per tota, cum partim generaverint membra humana, partim belluina, non promiscue commixta, ut in cæteris animalibus animadvertuntur, quæ ex parentibus specie differentiis procreantur? Adde quod anima, quæ est in femine humano, aut animæ facultas nimis distat à natra animæ, quæ deducitur ex femine belluino. sed alia tamen ex parte non videtur ulla anima, aut ulla animæ facultas effingi in femine posse, quia facultas, animæ facultas est, unde si ulla adesset facultas animæ rationalis in femine humano, adesset & anima rationalis, quod non est vero simile; sed hæc longioribus prosequitur Thom. Fien. lib. de form. *sciens quæst. 5.* Verum quoad materiam an forte quia unum semen magis altero crassum, tenue, frigidum, siccum, calidum, humidum, idcirco femina misceri prohibentur? certe neque hoc saltem de necessitate, quia unum semen alterius qualitate moderabitur, si commisceri permittantur. Misceri ergo semen humanum, & belluinum non est quid, quod prohibeat. de hinc in actum produci, & inde ali-

quam generationem sequi, quæcunque tandem illa futura sit, adhuc non video quid impedimento esse possit. quod si hæc aut nunquam, aut tam de raro conspiciantur, non facti impossibilitas, sed causarum ex accidenti concurrentium impedimentum inculandum. quale vero monstrum qualisve partus ex tali seminum commixtione nasci possit; utrum habens partim humana membra, partim belluina, an potius ita simul commixta, ut in aliis, quæ ex specie diversis parentibus orta videmus, conspiciantur, aut aliud quoddam animal, ingenue fateor ancipitem me adhuc detinere, neque posse experientia orbatum (summum enim nefas in his experientia) quicquam certi determinare; quod enim homo inde nasci possit facile non dixerim, & multo minus quod bellua; sed illud non inficari audeam, monstrum nascentem, ut natum aliquando jactant, quoque modo commixta membra humana, & belluina habente, evidens indicium facere, ut nefariæ incestus reus exquisitissimis tormentis torqueri possit; ad hoc enim maxime pro Iureconsultis tota hæc rerum series pertinere videbatur; quod si quid aliud est, quod pro ipsis faciat, hæc etiam facile recolligere poterunt.

S V M M A R I V M.

- 1 Necessitas sciendi quænam monstra rationali Anima sint prædicta.
- 2 Factus ad aliquos effectus dici potest monstruosus, ad alios autem non.
- 3 Monstrum ad effectum quod baptizari non possit quando dicatur.
- 4 Factus humanam figuram habens pro homine habendus.
- 5 Fera ex homine concipiens poterit in aliquorum sententia generare aut hominem, aut feram, sic & mulier ex Bruto concipiens generare aut hominem, aut Brutum.
- 6 Ad hominis perfectionem videtur requiri figura humana.
- 7 Sola anima sine corporis perfectione sufficiente non facit hominum.
- 8 Quod formam hominis, id est, figuram non habet, rationalem animam habere non præsumitur.
- 9 Effigies externa est prædominantis feminis indicium.
- 10 Caput est præcipua rationalis Animæ sedes.
- 11 Fœtus humano capite pro homine habendus.
- 12 Totus homo in facie, & solus Homo facie daturus.
- 13 Monstra in dubio baptizanda.
- 14 Fœtus humanus capite belluino an pro homine habendus.
- 15 Fœtus capite belluino quando pro homine existimandus.
- 16 Monstra ex homine ab humana figura profus degenerantia in speciem alienam nihil humani habent.
- 17 Monstra bicorporis alterum, quod videtur sensu carere, an homo sit.
- 18 Monstrum rationalem animam habere si humana figura sit prædictum, an verum sit.

Quæ

Quæ Monstra ex humana specie rationalem animam fortiantur, quæ non.

Q V Æ S T I O I V.

Proximum ab his est, ut videamus, quænam monstra ex humana specie quomodocunque enata rationalem animam fortiri pronuntiare liceat, quæ non; ab hoc enim plura maximi momenti dubia dependentiam habent, nempe an fœtus baptizandus sit, nec ne, an rumpere debeat testamentum, an succedere debeat in paternis, aut maternis bonis an succedere possit, & alia quamplura. non enim, etiam si monstruosus fœtus sit, semper eodem modo ad quoscunque effectus pro monstro habetur, sed ad aliquos monstrum dicitur, ad alios non. simpliciter tamen Monstrum dicitur quomodocunque aliquod enorme vitium habet vel in excessu, vel in defectu, vel in conformatione membrorum. ad effectum autem quod baptizari debeat nunquam dicitur Monstrum, quomodocunque humanam figuram retineat, nisi forte quando cum hoc nullo sensu præditum esset, quemadmodum ad effectum quod possit impune occidi, non sufficit quævis etiam enormis monstruositas, nisi cuormiter à figura humana recedat, & vere homo dici non possit. an autem enormis læsio in excessu, vel in defectu membrorum impediatur, ne in paternis, aut maternis bonis succedat, Iureconsultorum est definire: nam nisi illud sit, quod huiusmodi fœtus pro vitalibus non habeatur, & idcirco testamentum non rumpunt, non video quid in causa esse debeat, cur paterna, aut materna hereditate defraudentur; nisi forte defectus esset enormis membrorum principalium, ut si monstrum esset Acephalum, hoc est, sine capite, tunc enim nequaquam palam esset, an homo esset. necne.

Videndum ergo quæ monstra Anima humana dorentur, quæ non. Putantur aliqui nullum in hoc dubium intervenire, quomodocunque fœtus humanam figuram habeat; ita Fortun. Fidel. lib. 3. *relat. cap. ultimo*, in qua sententia sequitur, quod Equa, vel Bos possit generare verum hominem, nam potest etiam, ut credit, Equa, vel Bos homini commixta generare fœtum, qui humana figura perfectissime doretur, nihilque Brutine retineat. sic & Mulier ex Bruto concipiens aliquando Brutum, aliquando Hominem generare poterit, sicque fuerunt Attilam Hunnorum Regem ex cane, & muliere sulceptum, unde Torquat. Tass. *Cant. 17. Stanza 70.*

*Ben si convolve ad volto Artila il fello,
Che con occhio di Drago ei par, che guati,
Et ha faccia di Cane, & a vedello
Dirai, che ringhi, e udrai credi i latrati.*

In hanc ipsam sententiam ita ex Iureconsultis inclinat Torreblanca lib. 2. *Demonolog. cap. 33. à num. 22. ad plures sequentes*, ut putaverit, Satyros, aliæque huiusmodi animalia semihumana figura insignita & homines esse, & rationis participes, natosque ex nefanda Hominum cum feris commixtione.

Videtur autem ad Hominis perfectionem, corporis sufficientem saltem quandam perfectionem

requiri, quia sola Anima non facit Hominem sine ejusdem corporis perfectione. Plat. in *Convivio. & ibi Ficini. orat. 4. Cic. in somn. Scip. & ex Iureconsultis Baldus in l. 2. in princ. C. de Possib. Hered. Institvend.*

Vnde apud Iureconsultos, quod formam, id est figuram Hominis non habet, rationalem Animam habere non præsumitur, ut ex eodem Bald. Carranz. de *Part. hum. cap. 17. num. 25.* quomodocunque ergo in externa figura humana elucet effigies, etiam si fœtus ex nefaria aliqua commixtione hominis cum Bruto nasceretur (si modo id in via naturæ succedere possit) fœtus ille Homo dici debet, & ratio pro hac sententia est evidentissima, quia externa effigies prædominantis feminis inditium est; ad cuius formatricem facultatem consequitur, determinantur enim femina à sua specifica natura ad talem, & talem membrorum, corporisque efformandam figuram, & non aliam, ut jam probavi.

Sed dubium hoc maxime procedit in his monstris, quæ cum aliqua parte, vel aliquibus membris humanis, mixta etiam habent membra belluina, ut esset Centaurus, Onocentaurus, Satyrus, præcipue autem dubitatur de his, quæ caput humanum, cum corpore belluino, aut belluinum cum humano corpore fortiantur; & circa id videretur facilis responsio, si de sede principatus Animæ constaret, de qua cum non sit hic aptus locus ad disceptandum, cum Medicis me sentire, imo cum ipsa Ecclesia Catholica, dicam, (quæ, ut idem Fortunatus dicebat, sacra, ac vitali Baptismatis aqua caput respersit, non pectus,) si caput esse præcipuum rationalis Animæ sedem firmavero, quam sententiam, ut Medicos omittam communiter ei adherentes, comprobant ex Iureconsultis Carranza de *Part. cap. 17. num. 29.* Et ex his videretur dicendum, quod ubi fœtus capite humano insigniatur, præsumptio sit latentis Animæ rationalis: nam totus Homo in facie, ut dicebat Majol. *disc. canic. colloq. 2.* imo facies soli homini propria est, ut ex communi sententia dicit Andr. Laur. *Anatom. lib. 11. cap. 1.* & tamen, pro naturæ nostræ infelicitatem! sub humana facie ferinum animum celari, an non quotidie experimur? utinam aut animo facies responderet, aut saltem illud succederet, quod in voto habebat Franciscus Balduccius Poeta Siculus in suis carminibus nitore, & lepore suspiciendis, dicens:

*Deh che non dassi à noi nell' altrui seno
Di Lince à quisa penetrar gli arcani,
O per ampia fenestra al manco lato
Mirar il cor svelato,
Pria che d'amor accor gli affetti insani?
Oh qual vedrian celarsi*

Sotto sembante humani sensi inhumani, &c.

Et tamen constat, Monstra quædam superiores partes humanas habentia, inferiores belluinas, humani nihil habuisse, cum neque humanam vocem ediderint, aut alio quocunque signo se homines prætulissent; unde cum quaeritur, an talia baptizari debeant, necne, non male forte diceretur, si modo id per Canones liceat, ea sub conditione esse baptizanda: nam esse omnino in dubio baptizanda ex Petr. Gregori. dicit Carranza. *ubi supra num. 31.*

At vero non quia præsumptio ex humana effigie desumpta id operetur, ut cum ea conjungatur

Fortunatus Fidelis loco cit. lib. 3. cap. ult. hæc habet. Proditum est à doctissimis quibusdam viris, atque ego ab oculatis testibus accepi, non multis ab hinc annis Panormi monstrum exortum fuisse duobus capitibus, ac reliquis membris ita conduplicatis, ut duos plane diceret, unicum tamen erat cor aglutinatis utrinque pectoribus, atque unicum tantum spatium efformantibus. Aliud monstrum apud Paræum sic se habebat. Anno Domini 1572. in ponte Sæo ad Andes oppidulo prodierunt in lucem decimo die Iulii gemellæ femina cætera membris omnibus perfectæ, nisi quod alterutris manus sinistra quatuor tantum digitis erat distincta. cohærebant autem anterioribus partibus nempe à mento ad umbilicum usque, qui ipsi unicus, uti & cor unum erat; hepar vero in lobos quatuor dividit.

In puella etiam bicipiti nata anno 1544. mense Ianuarii, de quo Card. lib. 14. de variet. cap. 77. cor unicum inventum est, licet bifidum videretur, cujus rei quicquam non mirandum, quia Galum quispian Diis sacrificans invenit cor duos vertices habens, Gal. referente 7. de Anatom. Admin. cap. 11. tamen is Gallus unicum erat animal. Sed non dissimile prænarriat monstrum fuit Lutetiæ natum anno 1605. cujus historiam recenset Riolanus filius, ex quo Licetus lib. 2. de Monstr. cap. 10. quod coagmentatum fuit ex duobus puellis amplexu mutuo sterno, & ventre ad umbilicum usque junctis; in quibus dissectis repertum est cor, & jecur unicum. Sic & quod Heidelbergæ apud Neccarum flumen ortum est anno 1544. descriptum ab eodem Liceto ex duobus masculis infantibus constabat ventre conglutinatis, duobus capitibus, quaternis manibus, pedibusque totidem: in cadavere horum dissecto cor unicum extitisse comperit. Aliud apud Cælium Rhodig. lib. Antiq. lib. 24. cap. 3. Id infans fuit biceps. multa in eomira quadrimestris primum magnitudo &c. natus est circa Idus Mart. 1514. cor quidem illi simplex, ut afolet, at jecur duplex, sicuti & Lien. quin etiam Ioan. Faber Linceus bicipitem vitulum annis præteritis secuit non longè ab Vrbe natum anno 1625. & unicum cor invenit, ut refert in lib. de Animal. Ind. ac denique monstrum bicorporeum natum hic Romæ anno 1631. circa Mensem Novembris unicum cor habebat, ut ex historia habetur in fine hujus tituli annexa. Ex quibus exemplis, aliis plerisque præteritis, quæ ad rem facere possent, periculum fit, caput geminum non habere de necessitate cor geminum, atque hoc pacto geminum caput geminum animal constituere necesse est, cum appareat præcipuas animæ operationes diversificari in geminatione capitis, non autem in geminatione cordis: nam si alia Monstra consideraveris, quæ sub uno capite duo pectora, & consequenter duo corda habebant, hanc sententiam multo firmiorem iudicabis, quia ea unica voluntate, & unica Anima regerantur. licet mirari subeat Cardanum lib. 14. de variet. cap. 77. alleverantem, plures bicipites infantes videri, qui autem geminum corpus habeant, atque unum caput, non ita, ipsum enim falsitatis convincunt sequentes historiarum: tale enim fuit monstrum illud in Insula obscuri lacus in Ferrarienti ditione ortum anno Domini 1579. sub unico capite duo pectora, & reliqua fere membra omnia conduplicata habens, de quo Licet. lib. 2. de Monstr. cap. cit.

hoc quidem unicum vere animal non geminum dixeris, talia etiam fuerunt monstra illa, de quibus in sine superioris quæstionis locuti sumus ex Amato, Paræo, & aliis. At geminum caput, ubi-
 10 cunque tandem sitretur (dummodo animalitatis particeps videatur, & non ut illud, de quo alias, sola plantarum vita vivens) geminum animal constituit; & ita tenet ex recentioribus Sebast. Nafius in spec. meib. med. par. 1. sect. 2. quæst. 5. nam & monstra vifa sunt unicum caput loco consueto, & aliud in medio ventre sortita. tale visum est, cætera perfectus homo, cujus è medio ventre caput insigne extabat, nec secus quam verum, ac summum Monstri illius caput, hoc monstrificum, & tanquam applicum nutriebatur; ad virilem ætatem pervenit: duo ergo homines hic censendi erant, & seorsim unusquisque eorum baptismo fuit mundandus, ut ex Medicis concludit Fortunatus ubi saepe. & Sebast. Nafius loco cit. & ex Iureconsultis Carranza de part. cap. 17. num. 95. cum aliis ab eo adductis, ad quos auctores, si plura lector audire desiderat, illum remitto. dubium tantum reliquum erat de Monstri bifrontibus, & quæ geminam faciem, ut Ianus pingitur, habent. an pro duobus hominibus, vel pro unico habenda, & prudenter eam dubitationem resolvit idem Sebast. Nafius ubi supra, quod si distinctum habeant cerebrum pro duobus hominibus habenda, quia distinctio animarum elicienda ex distinctione perfectissimi organi, per quod proprias operationes exercere audeat. Ergo si distinctas hæc duæ facies operationes habebunt, & si singulæ suos sensus perfectos sortientur, duo cerebra habere conjectabimur, & duos homines esse.

S V M M A R I V M.

- 1 Monstra ex suamatra non vitalia.
- 2 Monstra cur in Matris utero facile vivunt, extra matrem intereant. § num. 4-5.
- 3 Monstra cur non abortiantur.
- 4 Quæ monstra in ipso utero intereant.
- 7 Bicipitia monstra, aut præcipuas partes geminatas habentia, non vivunt.
- 8 Quæ ex corrupta, & vitiosa materia monstra generantur non vivunt.
- 9 Quæ ob figuræ absurditatem difficultatem parvus excitant monstra non vivunt.
- 10 Quæ non iusto tempore eduntur non vivunt.

Quæ Monstra vitalia, quæ non vitalia.

QVÆSTIO VI.

Hanc quæstionem optime, & prudenter discussit Martin. Winrich. de Ori. Monstr. cap. 34. ejusque discussio Iureconsultorum maximi intererat, & primo ea conclusio firma, factæque remanere debet ab Aristotele canonizata lib. 4. de Gen. Anim. 1. cap. 4. quæ generaliter vera quidem est, Monstra scilicet ex sua natura non esse vitalia, atque idcirco inanis omnino censenda Carranza de Part. cap. 17. num. 33. audacter se in his, quæ sua non sunt, immiscens explicatio, & hujus assertio-
 nis distinctio, quia non obstantè, quod Monstra formam

formam humanam obtineant, dummodo enormiter deformata conspiciantur, vel quoad excessum, vel quoad defectum membrorum, vel quoad ipsam conformationem, ut plurimum, & secundum plurimum intereat, ob rationes, de quibus infra, quæ legules homo hic penetrare non potuit; sed antequam eas causas assignemus, illud discutendum est, cur sit nempe, quod Monstra facillime in Matris utero vivant, ita ut angelcant, & ad ultimos usque menses à Matre portentur, neque de facili abortiantur, ut firmat Cardan. lib. 12. de subtil. Audiamus ergo rationem ab ipso Cardano
 3 allaram, cur Monstra non abortiantur. Abortus, inquit, de raro fiunt, rariora Monstra, Monstrorum igitur abortus rarissimi. Sed hoc non satisfacit ad dubium, non enim quærimus raritatem abortus Monstrorum inter abortus quoscunque, seu respectu quoruncunque abortuum, sed raritatem abortus monstrorum inter ipsa monstra, & respectu monstrorum, quia monstra, ut plurimum non abortiuntur, ut ipse supponit; sed ego suppositionem hanc veram non credo, nam & monstra abortiva visuntur non in minori numero, quam Monstra debito tempore nata; quin unam ex abortus causis puto esse monstrositatem fetus tanquam naturæ minus acceptam, & minus convenientem. Ad principale ergo dubium, cur scilicet Monstra de facili intereant, idem Card. loco cit. dicebat, Principio quidem Monstra facillime in utero vivere, & absolvi, quoniam generantur, & quæ generantur non eisdem causis etiam servari necesse est, quibus fiunt. verum, addit, cum à Natura remota sint, & imbecillia, & insaluberrima, cum
 5 primum nata fuerint, intereunt. Winrichius loco supra cit. cap. 35. Monstra in Matris utero convivere potius dixit, quam vivere, habere nempe ex vita Matris unde vivunt, & id circo à Matre decisa, & ex se non vivere.

In eam ego sententiam venio, Monstra & facile abortiri, & si casu angelcant, decisa à Matris utero non vivere, & illud quidem multas habet causas, multa enim concurrunt in prima monstrorum plasmatione vitæ de directo contraria: præcipue autem feminum vitia, & discrasia, vel dissonantia inter se: eorundem vel luxurians copia, vel defectus, uteri, ac Matris, sanguinisve alimentalis vitiosa constitutio, caloris imbecillitas, & alia permulta. non ergo ad perfectionem deduci possunt, licet inesse ex talibus principiis deducantur, unde fons calore materno facilius, eo destituta difficiliter vivere ea contingit.

Sed ad propositam in quæstionis principio assertionem cum Winrichio respondeamus, ea maxime Monstra vel in ipso primo ortu, vel quam primum ab ortu interire, in quibus princeps aliqua pars in totum abest, vel enormiter quoque transposita, aut læsa est. Vt quod Wittembergæ natum est anno 1525. de quo Licetus lib. 2. de Monstr. cap. 2. & aliud Villefrance in Vasconia natum anno 1565. de quo Paræus lib. 24. cap. 6. & his similia.

Secundo vitalia non solent esse quæ præcipuas partes geminatas habent, ut quæ bicipitia, aut bicorpora sunt, quorum plura variis temporibus conspecta, ex quorum numero vix unum, aut alterum vitam ad perpaucos annos protraxisse comperit.

Tertio quæ ex corrupta, aut vitiosa materia con-
 8 flantur, & ea de re valde infirma, atque informia sunt; ut verbi causa quæ ex humana in brutinam figuram degenerare ob id conspiciuntur, & figura sunt valde absurda, ut quod raninum caput sortitum est, aut canino aspectu sunt, quales nobilis quadam primipara annis præteritis est enixa hic Romæ, & alia ad hunc modum.

Quarto quæ ob absurditatem constitutionis, membrorum difficile partum Matri conciliant, qualia sunt quæ diximus præcipuas partes geminatas sortiri, quæ vix integra prodire in lucem possunt.

Quinto quæ non iusto tempore eduntur, sed hæc duo postrema non ob id intereunt, quod monstrifera sint, nempe ab intrinseca causa, sed ab extrinseca, quia utraque causa, hoc est & partus difficultas, & abortus omnibus partibus etiam nihil monstruositatis præferentibus est exitialis; cum neque ullus partus iusto tempore non editus, nec qui multum negotii matri in nascendo facefit, ipseque multum in ea se actione exagitat, vitalis esse consueverit.

S V M M A R I V M.

- 1 Incubos, & succubos dari.
- 2 Demones coitus voluptate, aut propagationis desiderio non detinentur.
- 3 Demones semen habere, & secundos esse ridiculum.
- 4 Incubi, & succubi non generant, & num. seq. 5. & 6.
- 7 Seminis spiritiosa substantia illico evanesca.
- 8 Mulieres dicentes se ex Demone conceptisse, vel illud duntaxat à Demone, vel illo alius illudunt.
- 9 Gigantes an ex Incubis.
- 10 Pro filiis Dei in sacra historia qui accipiuntur, & ex quibus generari Gigantes.
- 11 Nati ex Incubis an aliquid peculiarare ob id habere debeant à cæteris hominibus.
- 12 Ex Incubis non debent generari Gigantes.
- 13 Filius ex Incubo susceptus hominis est, cuius est semen, non Incubi.
- 14 Nec quo ad corpus, nec quoad animum quicquam peculiare habere debent nati ex Incubis.
- 15 Sprenger opinio reprobanda.

De Partu ex Incubis suscepto.

QVÆSTIO VII.

Dari Incubos, & Succubos Demones, qui sub
 1 virorum specie cum mulieribus, & sub specie mulierum cum viris coitum exercent, & alias firmavimus, & eam quæstionem longioribus discussit Mart. Delr. lib. 2. disquis. Magic. quæst. 15. & Percr. in Genes. lib. 8. disp. 3. præter quam plurimos alios tam vetustiores, quam recentiores Theologos, & ex Iureconsultis Torreblanc. Demonolog. lib. 2. cap. 30. & novissime Carranz. de Part. cap. 20. quæst. 10. Neque ob id, quod Demones Incubi, 2
 & Succubi fiant, coitus voluptate, vel propagationis desiderio detineri illos dixeris, sed hæc ea de causa machinari, ut homines enormibus lasciviis, ac sædissimis Veneris delectamentis irretiant, atque illaqueent. Demones enim, cum spiritus sint, neutro horum moveri ad hæc patranda censendum;
 ij. S14